

cuius distinctionem in modum arboris ramificate sic depingo. Atque non hic tantum, sed pluribus locis Schemata synoptica concinne facta ad margines inferiores videntur. Autorem e tanta Commentatorum turba secernere nec facile, nec adeo operae pretium foret; antiquioribus tamen adnumerandus est.

DXXXVI.

U. 308. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 264. f. per duas columnas non una quidem manu, nitide tamen perscriptus et rubricis distinctus, quondamque, ut Theca praefert, *M. Sigismundi Obrecht de lengensfeld* Eadem continet, quae superior, et *Lectura* quidem in I. incipit: *Quatuor libris Sententiarum premitit Magister prologum quendam cuius expositio simul et constructio sequitur in hunc modum &c.* Praeunt vero etiam Quaestiones prooemiales, puta: *Vtrum per studium in Theologia acquiratur scientia proprie dicta. Vtrum Theologia sit scientia practica uel speculatiua. &c.* Ad calcem L. I. adest Elenchus Tractatorum, quem continuo excipiunt Tractanda in L. II. hac Rubrica: *Nota Registrum in questiones actitatas super 2°. sententiarum sicut communiter solent legi a sententiaris studij Wiennen.* Ad Academiam igitur nostram haec Commentaria pertinent, quorum altera Pars incipit: *Circa distinctionem primam huius secundi Queris Denis Codd. Theol. V. II. P. II.*

tur *Vtrum sicut in temporis initio Deus fecit mundum ex nichilo &c.*

II. fol. 157. ab alia deinceps manu succedit *Tabula* illa jam alias producta in *D. Thomae Opera* hic quidem hoc Rubro: *Quomodo directorium sequens seu tabula intelligi debeat ad libros S. thome.*

III. fol. 253 *Incipiunt Auctoritates sanctorum patrum ac doctorum.* Συλλογὴ temere lecta e *Gregorio, Bernharo, Augustino, Ambrosio, Isidoro, Hieronymo, Caesario, Prospero, Leone, Anselmo, Job. Chrysofomo, Prudentio, Cypriano, Hugone de S. Vict. Basilio, Beda, quos inter et Cicero.*

IV. fol. 256. p. 2. *Incipiunt expositiones rarorum vocabulorum.* E Bibliis et PP. potissimum carpta, nullo ordine, non pauca ἀλογα, quaedam etiam germanice reddita, v. g. *Caristica Zunter. Coturnix rephen. Cancon schreibzeug. Cornus akczpaum. Pappilio veiualter &c.*

V. fol. 262. *Incipiunt synonyma unum et idem significantia.* V. g. *Auxiliari, Adiuuare, Suffragari, Succurrere, Subuenire, Amminiculari, Propiciare, Opitulare.* Misera sane Linguae latinae Tironibus *Auxilia!*

DXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 310. Folior. 225. f. praeter multa inserta foliola, commode perscriptus et rubricis distinctus est *Commentarius scholasticus in II. et III.*

H

III.